Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38221
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



188

tradis. Deinde quod matthis adquod uenisti amice.
Deinde dixit quod iohannis commemorat. Quid quaeritis.
responderunt ihm nazarenum. Dicit eis ihs. ego sum.
Stabat autem & iudas qui tradebat eum cum ipsis. Ut ergo
dixit eis ego sum. abierunt retrorsum. & ceciderunt in terram.
Iterum ergo eos interrogauit. quem quaeritis. illi autem
dixerunt. ihm nazarenum. Respondit ihs. dixi uobis. quia
ego sum. Si ergo me quaeritis sinite hos abire. ut impleretur
sermo quem dixit. Quia quos dedisti mihi non perdidi ex
ipsis quemquam. Uidentes autem sicut lucas dicit. hi qui circa
ipsum erant quod futurum erat dixerunt ei. Dne si per
cutiemus in gladio. & percussit unus ex ipsis. quod omnes quat
tuor dicunt seruum principis sacerdotum. & amputauit
auriculam eius. sicut lucas & iohannes dicunt dexteram. Qui
autem percussit. secundum iohannem petrus erat. quem
percussit autem malchus uocabatur. Deinde quod lucas
dicit. respondens ihs ait. sinite usq; huc. & adiunxit quod
matheus commemorat. Conuerte gladium tuum in locum
suum. Omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt.
An putas quia non possum rogare patrem meum. & exhibebit
mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum. Quomodo
ergo implebuntur scripturae. quia sic oportet fieri.
his uerbis adiungi potest quod illum eo loco dixisse. iohan
nes commemorat. Calicem quem dedit mihi pater. non
uis bibam illum. Tunc sicut dicit lucas. tetigit auriculam illius
qui percussus erat. & sanauit eum. Nec moueat quasi con
trarium sit. quod lucas dixit interrogantibus discipulis
si percuterent in gladio. Dnm respondisse sinite usq; hunc.
Quasi postilla percussionem tra dictum fuerit. ut placuerit
ei usq; huc factum. Sed amplius fieri noluerit. cum inuer
bis quae matheus posuit intellegatur potius totum factum
quo usus est gladio petrus dno displicuisse.